

11/85.

AD

AUDIENDAM ORATIONEM

IN AUDITORIO MAXIMO D. VI. DEC. HABENDAM

QUA

DIEM

N I C O L A I I.

IMPERATORIS ET DOMINI NOSTRI LONGE CLEMENTISSIMI

SANCTO NOMINI DICATUM


CONCELEBRABIT

UNIVERSITAS LITERARUM DORPATENSIS

INVITAT

RUDOLPHUS HENZI, D.

EXEGETICAE ET LINGUARUM ORIENTALIUM P. P.



IN EST LIBRI ECCLESIASTAE ARGUMENTI BREVIS ADUMBRATIO.

DORPATI MDCCCXXVII.

Liber *Ecclesiastes* inscriptus, quin inter obscurissima censendus sit sacri codicis scripta, nemo est qui dubitet. Quo factum est, ut quot hujus libri interpretes, tot fere opiniones de argumento, proposito atque ordine ejus existant. Locupletissimum indicem eorum, qui hac de re commentati sunt, exhibuit cl. BERTHOLDTUS ¹⁾, cui ex recentissimis etiam nomina KELLII ²⁾, UMBREITI ³⁾, KAISERI ⁴⁾, STIERII ⁵⁾ et EWALDI ⁶⁾ addi possunt.

-
- 1) Historisch-kritische Einleitung in sämtliche kanonische und apokryphische Schriften des A. und N. T. Erlangen 1812 - 1819. Th. V. Abtheil. I. S. 2229 ff.
 - 2) Die heil. Schriften in ihrer Urgestalt deutsch und mit neuen Anmerkungen v. M. Karl Gottfr. Kelle. Erster Band. Salomonische Schriften. Freiberg 1815.
 - 3) Koheleth's, des weisen Königs, Seelenkampf, oder philosophische Betrachtungen über das höchste Gut. Aus dem Hebräischen übersetzt und als ein Ganzes dargestellt. Ein Versuch von F. W. C. Umbreit. Gotha 1818.; et ejusdem Coheleth scepticus de summo bono. Gottingae 1820.
 - 4) Koheleth, das Collectivum der Davidischen Könige in Jerusalem; ein historisches Lehrgedicht über den Umsturz des jüdischen Staates. Uebersetzt u. s. w. von Dr. G. Ph. Chr. Kaiser. Erlangen 1823.
 - 5) Rudolf Stiers Andeutungen für gläubiges Schriftverständniss im Ganzen und Einzelnen. Königsberg 1824. Erste Sammlung. Eilfte Abhdlg.
 - 6) Das Hohelied Salomo's übersetzt, mit Einleitung, Anmerkungen und einem Anhang über den Prediger, von Dr. G. H. A. Ewald. Göttingen 1826.

In tanta sententiarum diversitate quid mihi videatur de oeconomia libri Ecclesiastis, paucis nunc ita adumbrare volo, ut simul lectionum de hoc libro habendarum conspectum quodammodo praebeam, id quod Imperatoria lex de caeterarum disciplinarum scholis praecipit. Eiusmodi conspectus cum, sicut etiam programmata nostra, artis finibus circumscriptus esse debeat, ego quoque brevitati studeam et censuram discrepantium sententiarum hic prorsus omittam, necesse est.

Auctor libri ignotus; verum tamen vir sapiens fuit, quem posteriore demum Hebraeorum aetate floruisse, ex sermone, quo usus est, quammaximé aramaizante, qualem in recentissimis tantum V. T. libris invenies, et ex quibusdam persicis vocabulis, (2, 5. 8, 11. exstantibus,) Hebraeis ante Cyrum ignotis, satis elucet.

Qui Salomonem auctorem esse putant, tum hac ratione, tum eo refutantur, quod auctor in epilogo (12, 9 seq.) semet ipse distinguit a Salomone. Clarissimum hunc regem nomine KOHELETH, i. e. congregatoris sc. concionis, concionatoris ¹⁾ seu oratoris ²⁾, tantum loquentem inducit, vel ob sapientiae majestatisque ejus famam, vel quod re vera materiem libri

1) A radice כָּהַן congregavit.

2) Collato arab. كَلَّمَ locutus est.

sui ex ejus scriptis vel sermonibus ore traditis hausisset. Nec minus ex ipso libri argumento verisimile fit, auctorem illis demum temporibus vixisse, quum populares ejus sub jugo exterorum dominorum gement.

Agit auctor in hoc libro *de ratione, quam homo debilis, qui vitae humanae implicitas difficultates clare perspicere minime possit, sequi debeat, ut in omnium rerum tanta inconstantia atque vanitate felix evadat.* Persuasum sibi habens, Deum O. M. summum esse mundi rectorem summaque sapientia humanis rebus providere, animae vero immortalitatem sperans tantum et verisimilem potius ducens quam certam ¹⁾, in hanc abit sententiam: *pia mente fruenda esse atque toleranda quae praesens vita offerat bona et mala, tanquam a Deo immissa, summeque contendendum, ut in omnibus vitae conditionibus leges divinae observentur.* Hanc esse vitae sapienter agenda summam regulam et certissimam ad felicitatem perveniendi viam, variis modis probat atque illustrat. In qua quidem materia pertractanda non accuratam sententiarum dispositionem, legibus logicis adstrictam et omnibus repetitionibus carentem adhibet, quippe quae in rebus explicandis et disciplinis tradendis veteribus Hebraeis nec nota

1) Cf. 3, 17 seq. cum 12, 7. Evangelium Jesu Christi demum immortalitatem animae et vitam beatam post mortem futuram extra omnem dubitationem posuit, cf. 2 Tim. 1, 10.

fuerit nec quaesita, cum potius priscam illam sententiarum viam tenerent nec methodum vel sponte sese offerentem admittere dignarentur (verba sunt Ven. Lowthii de poesi hebr.), sed tamen ita meditationem suam ordinat, ut, quomodo singula sese excipiant, perspectu non difficile sit.

PARS PRIMA,

QUAE IN QUAESTIONE DE SUMMO BONO VERSATUR.

Auctor incipit a *demonstranda omnium rerum vanitate*, quae inutile reddat studium hominis inveniendae rei, qua stabiliter frui possit (Cap. I. vs. 1—3.). Exempla proponit: *genus humanum*, cujus mortalitatis terra sit sempiterna testis (vs. 4.); *res naturae*, quae perpetuo orbe circumactae et quasi ad fatigationem usque occupatae in tranquillum statum pervenire nequeant (vs. 5—8.); *rerum gestarum* mutam semper faciem nec tamen unquam novam (vs. 9—11.).

In tali tantaque vanitate *perscrutatio et cognitio rerum mundanarum* tranquillitatem animo conciliare non potest, molestiam potius et sollicitudinem auget. Quanto quis sapientior, tanto fere inquietior, tanto magis enim perspicit, semetipsum omniaque innumeris vitiis laborare (vs. 12—18.)¹⁾

1) 1, 15. continuat descriptionem vanitatis vs. anteced. inceptam; vertendum est: „(comperi omnia esse) distorta neque corrigenda, innumerisque defectibus laborantia.“

Neque *sensuum voluptas* beatum reddere potest, ne tunc quidem, quando *cum sapientiae studio jungitur* (Cap. II. vs. 1—10.)¹⁾. Utriusque enim vanitas consideranti conspicua (vs. 11. et prius hemistich. vs. 12.)²⁾, quum, quantumcunque praestet sapiens insipienti, *mortem* tamen nec ipse effugere possit, eumque valde affligere debeat dubitatio, num qui post eum fruituri sint rebus sapienter et magno labore ab ipso partis easdem rationes secuturi ejusque merita recte aestimaturi sint, nec ne (vs. 12—23.)? Accedit, ut ne acquisitio quidem nec usus tam mancorum tanique vanorum bonorum *ab ipso homine ejusque studiis*, sed a Deo pendeat, qui pro libero sed justo arbitrio suo ea distribuatur (vs. 24—26.).

Cuilibet enim rei *a Deo definitum est tempus*, quod homo mutare nequit (Cap. III. vs. 1—9.). Studium et quasi

1) 1, 3. verba: „animus autem meus egit vel tractavit sapientiam“ seu: „animum meum duxi sapienter“, in medio posita, eandem sententiam exprimunt, quam vs. 9. verba: „inter haec sapientia mea mihi comes erat et quasi ministra.“

2) 2, 11. „Cumque ego jam respicerem ad omnia, quae manibus effecissem meis, omnemque quo ad illa perficienda perfunctus essem laborem, vana illa omnia et studia inania fuisse, nec quidquam praestans et magnopere expetendum sub hoc sole esse vidi;“ vs. 12. „cum porro ad perspicendum, quid sapientia quidque insania ac insipientia esset (quidque ad felicitatem valeret), me convertissem, eandem percepi vanitatem (haec verba e contextu supplenda sunt); nam qualis erit is, qui post mortem regis (Salomonis, nomine Koheleth loquentis,) adipiscatur, quae ante eum perfecta fuerunt?“

instinctus agendi atque operandi, ab ipso Deo homini insitus, hunc eo tantum adducere debet, *ut imbecillitatem suam humiliter agnoscat* (vs. 10.). Attamen Deus eam homini concedit mundanarum rerum earumque gubernationis perspicientiam, *ut, ipsum omnia optime regere, intelligere possit* (vs. 11.).

Quae quum ita sint, quum humanam debilitatem, tum divinam omnium rerum gubernationem agnoscens, homo sibi persuadeat necesse est, se ad promovendam felicitatem suam nihil facere posse, quam *ut gaudeat bonis, quae possideat, et ut recte agat* (vs. 12.). Omnia enim habet Dei munere (vs. 13.), qui ea pro libero suo arbitrio impertit, ut reverentiam sui, pietate atque virtute monstrandam, excitet (vs. 14.).

His duobus praeceptis vitam feliciter agendam contineri, *confirmatur potius quam refutatur*: 1) *consideratione rerum per orbem quasi redeuntium* (cf. 1, 9 seq.), quum haec aequalis rerum circumactio probet, Deum semper eandem in regendo orbe summam, sanctam et immutabilem, legem sequi, nec quidquam fieri caeco tantum casu, commodis vitae igitur homini, tanquam a Deo oblatis beneficiis, pio gaudio fruendum esse (vs. 15.); 2) *contemplatione factorum cum meritis hominum minime congruentium, et tot tantorumque defectuum, quibus vitae commoda atque gaudia laborant* (v. 16. — Cap. V. vs. 6.). Incertus enim atque dubius homo, num unquam

sanetur haec discordia, et num immortalis sit animus humanus meliusque post mortem ei obtingat fatum, confirmari debet in sententia, nullum esse majus sibi bonum, quam *ut de praesenti sua sorte laetetur* (Cap. III. vs. 16—22.)¹⁾.

Consideranti vero mortali, quot quantaque obstacula, nec semper sua culpa excitata neque ea, quae suo studio suisque viribus possint averti, se objiciant, quo minus sorte sua laetari possit, v. c. tyrannorum injuriae (Cap. IV. vs. 1—3.), invidia (vs. 4.), ignaviae non minus quam avaritiae damna, summaque inter utramque medium tenendi difficultas (vs. 5. 6.), orbitas propinquorum (vs. 7—12.), ipsius majestatis regiae condilio incerta atque vanitas (vs. 13—16.)²⁾, non potest non

-
- 1) 3, 17. „Id me in sententiam adduxit, justum pariter atque injustum judicaturum esse Deum, (num forte in vita post mortem futura?) quod cuique actioni tempus (judicandi) esset constitutum et de quovis facto tunc“ (scil. decreturus esset Deus. Aposiopesis emphatica). Vs. 18. 19 seq. „Nec tamen minus in hanc veni sententiam (alteri contrariam) quod ad homines attinet, haec ipsis accidere, ut Deus eos probet, utque videant, se brutis similes esse, seque non minus quam haec, cum amborum sors in hac vita una eademque sit, per mortem prorsus extinctum iri.“
- 2) 4, 13. „Praestat juvenis pauper isque sapiens regi seni et stolido, qui nesciat moneri amplius;“ vs. 14. „nam e carcere potest prodire ad regnandum et pauper natus esse in ipso, quod possessurus est, regno.“ Vs. 15. „Vidi omnes vivos, quotquot degebant sub hoc sole, alteri illi juveni, qui successurus huic esset in regno, adhaerentes;“ vs. 16. „infinita erat multitudo populi, eorum, inquam, omnium, quorum dux ille erat. Jam vero etiam, qui sectatores ejus erant, non laetantur de eo.

animus impleri *timore atque reverentia Dei*, omnium factorum praesidis et liberi arbitri, *humillimaeque in ejus gubernatione acquiescendi patientia et sincero studio pietatis atque virtutis, ut propitium sibi reddat summum Numen* (vs. 17. — Cap. V. vs. 8.).

Caeterum quantacunque sunt illa vitae perfecte beatae impedimenta, multum tamen minuerentur, et multo felicior evaderet homo, si recte perpenderet, non *in avaro cumulandis possidendisque, sed pia grataque mente fruendis bonis* (quum Deus sit, qui facultatem hujus rei et occasionem homini praebeat) veram consistere vitae beatitudinem. Id quod vel ex ipsa corporis humani natura atque indole ¹⁾ elucet (vs. 9—19. et Cap. VI. totum).

PARS SECUNDA,

QUAE REGULAS VITAE AD OBTINENDUM SUMMUM BONUM
FACIENTES CONTINET.

Explicata jam atque demonstrata sententia sua, summum bonum homini in eo ponendum esse: cum ut vita prae-

Est nimirum etiam in hoc vanitas et studium inane.“ Hoc exemplum, probabiliter fictum, ad demonstrandam veritatem sententiae, 2, 12 seq. prolatae, facit.

- 1) 6, 7. „Quidquid laborat homo, est pro ore ejus, attamen appetitus ejus non satiatur,“ i. e. ipsa natura atque indoles corporis, cujus,

sente ejusque commodis, quantum fieri possit, fruatur, tum ut pietati atque virtuti studeat, pergat auctor ostendere, quid homini sectandum, quid fugiendum sit, ut hunc finem attingat. Subjungit igitur singulas vitae, ad normam duplicis istius praecepti recte instituendae, regulas, quae, ex ipso haustae, ad varias vitae condiciones applicantur.

Admonet hominem, ut *considerate et caute se gerat*, rerum exitum cogitet et veritatem magis reputet, quam speciem colat. Parvum tolerare malum ne recuset, si majorum commodorum sit causa, neu quod jucundum sibi videatur avide arripiat, quum perniciosae ansam det (Cap. VII. vs. 1—7.). *Patiens sit et sua sorte contentus* (vs. 8—10.). *Rebus secundis sapienter utatur, in adversis in gubernatione Dei acquiescat* (vs. 11—14.). *Ne in ullius rei studio sit nimius, sed vel in ipsa virtute exercenda prudenter agat et justum teneat modum, quam reverentia Dei, omnis sapientiae principium, optime monstret* (vs. 15—20.). *Ne omnium rerum rigidus sit censor, priorum vitiorum memor* (vs. 21. 22.). *Ne in primis mulierum illecebris irretiri se sinat, quum muliebris sexus (inter orientales populos depressus et posthabitus) parum ad sapientiam colendam conducatur, neque in illo, quod*

dum vivit, appetitus nunquam ita, ut non redeat, extingui potest, hominem, ut vitae bonis fruatur, instigat; nec (coll. vs. 8.) quisquam huic legi non obnoxius est, ne sapiens quidem, quantumvis pauper sit.

vel inter viros rarissimè existat, sapientiae atque virtutis perfectum exemplar, ingenium nobile et excellens, in quo totus confidat et spem felicitatis reponat, inveniri possit (vs. 23—28.)¹⁾.

Quum tamen non Deo crimini dandum sit, qui omnia recte disponat, sed ipsorum hominum perversitati atque arrogantiae, quod tam pauci, verae sapientiae compotes, vita sua recte laeteque fruantur (vs. 29.), sapientissimus quisque *hilaritati suae junget modestiam atque humilitatem coram Deo* (Cap. VIII. vs. 1.)²⁾, quam praecipue *obedientia iis, quibus inter homines principatum Deus commisit, praestanda et ne tum quidem recusanda, cum princeps potentia sua abusus fuerit*, prae se ferre debet. A seditione arcet eum vel ipsa prudentia, multo magis vero reverentia summi Numinis, quum persuasum sibi habeat, non sine Deo malos in meliores dominari, nec tempore ab ipso constituto justam elapsuros esse ultionem (vs. 2—15.)³⁾, se vero nimis hebetem esse et in-

1) 7, 24. „Procul abfuit (scil. sapientia, quam quaesivi, vitae recte fruendae moderatrix); — quid est, in quo consistit? — inque profundum, penitus demersa est, — quis inveniet eam?“

2) 8, 1. „Quis sapiens ille, et quis novit interpretationem sententiae (ante propositae, Deum quidem humanas res recte disponere, homines vero, varii generis ingenii commentis indulgentes, ipsos malorum causam esse)? — Sapiens illustrat faciem (et exhilarat); arrogantia vultus ejus mutatur (in modestiam),“ i. e. sapiens ille is est, qui sereno vultu atque humiliter in iis acquiescat, quae Deus disposuit.

3) 8, 10. „Tunc vidi improbos sepultos; obierunt et e loco sancto (scil.

scium eorum, quae futura sint, quam ut Dei consilia perspicere possit (vs. 16. 17.).

Persuasio, omnia hominum fata, quantumvis turbata, a Deo sanctissimo justitiae arbitro ordinari, sapienti porro non permittit, ut *se nequitiae dedat*, sed potius, una cum consideratione omnium hominum fragilitatis, incitamentum ei esse debet, *ut praesentis vitae momento* cum ad fruenda bona, tum ad administranda negotia, a Deo sibi oblata, *diligenter utatur* (Cap. IX. vs. 1—10.). Et quamvis optimo studio exitus saepius non respondeat, et interdum abjectae lateant sapientia et virtus, atque omnia fato subjecta esse videantur (vs. 11—15.), *sapientiam tamen nunquam non sectabitur*, quum haec saepissime eximia emolumenta praestet, stultitia vero hominem probro afficiat inque perniciem praecipitet (vs. 16. — Cap. X. vs. 3.)¹⁾. Quod maxime conspicuum fit et varia ratione agendi, quam sapiens stultusve observat erga principes, subinde loco sublimi indignos, in quo quasi per errorem summi rerum omnium gubernatoris (coll. vs. 5.) atque in perniciem subditorum collocati sunt, et vario utriusque

regia) elati oblivioni in urbe traditi sunt, qui ita (scil. improbe) egerant; nam et haec (scil. tyrannis) vana res est.“

1) 10, 1. „Ut enim muscae mortuae (vel mortiferae, venenatae,) foetidum odorem exhalare faciunt oleum unguentarii, sic virum honore et sapientia excellentem paululum stultitiae“ (scil. foetidum exhalare facit odorem, i. e. famam ejus perdit, coll. 7, 1.).

successu. *Omni enim omnino violentiam detestans, qua factis, vel verbis, imo cogitationibus in tyrannos invehatur, summa moderatione sua animique tranquilla firmitate sapiens iram eorum sedat eorumque favorem sibi conciliat, dum stultus inconsultis suis atque intemperantibus sermonibus seditiosisque machinationibus sibi interitum parat (vs. 4—20.)*¹⁾.

Denique qui vitam suam sapienter instituere vult, ut quam maxime agatur tranquilla atque beata, *ne praesente statu suo felici ad segnitiam abutatur, sed id potius agat, ut strenua atque provida, nec tamen de eventu nimis anxia sedulitate et industria contra futuras calamitates et aerumnas, quas nemo unquam prorsus evitare potest, munimenta sibi paret atque subsidia (Cap. XI. vs. 1—8.); ne praesertim juvenes, dum juventute sua, uti fas est, hilari animo fruuntur gaudioque indulgent, Dei creatoris et futuri judicis obviscantur, sed senectutis aerumnosae et supremi diei memores voluptates et opera sua timore summi Numinis moderentur (vs. 9. — Cap. XII. vs. 8.)*.

1) 10, 10. „Cum hebetatum est ferrum aciesque ejus non exacuitur, vires intenduntur; optimum vero successum praebet sapientia;“ i. e. stultus tantum et obtusi ingenii homo violentia utitur, nec tamen ipsi fructum ea praebet, qualem sapienti acies ingenii. — Hac sententia, non minus quam antecedentibus, auctor hortatur, ut omnis adversus rei publicae administratores violentia atque seditio fugiatur.

Vs. 9—14. *Epilogum* continent, in quo auctor sapientissimi regis Salomonis, quem loquentem induxerat, merita de instructione publica laudat, atque ut summam omnis doctrinae proponit: *reverentiam Dei studiumque virtutis cum spe remunerationis futurae.*

Haec hactenus. Jam nunc ad id, quod hujus dissertationis edendae ansam dedit, transimus. Adest laetus sanctusque ille dies, nomine Imperatoris et nutritoris nostri longe clementissimi atque munificentissimi insignitus, qui in alma nostra literarum Universitate oratione solenni, in Auditorio maximo a Professore nuper munus suum aggresso habenda, celebrari solet. Cui ut auditores interesse velint omnes omnium Ordinum Professores reverendi, consultissimi, experientissimi, excellentissimi, Commilitones quoque ornatissimi, denique quotquot huic Musarum sedi bene cupiunt, qua par est observantia oro rogoque.